

ORATIO  
DE ZALEVCO  
ET CHARONDA, ET LE-  
GVM DESCRIPTIONE

VTRIVSQUE:

A CONRADO RITTERSHVSIO  
BRVNSVICENSI, D. V. J. & Professore  
in Academia Altorfina, habita in  
exordio praelectionum.



ALTORPHII NORICORVM,  
Typis CHRISTOPHORI LOCHNERI, & IOHANNIS  
HOFMANNI, Typographorum  
Academicorum.

MENSE NOVEMBRI, A. C. MD CXXI.



ILLVSTRI ET GENE-  
ROSO COMITI, D. IOHANNI  
ALBINO SCHLICK, FILIO ILLVSTRIS ET  
Generosi Domini CHRISTOPHORI, Comitis in  
Passaun, Baronis in VVeiskirchen, Duppa,  
& Valconavv &c. Domino suo  
clementi

CONRADVS RITTERSHVSIVS BRVNSVICENSIS.  
S. D.



FFERO tibi, Illustris & Generose Comes, Orationem, quam de  
ZALEVCI & CHARONDÆ, antiquissimorum & Clariss.  
Legislatorum, Vita ac Nomothesia superioribus diebus, te quoq;  
auscultante habui. Facio hoc, tum mea tui obseruantia (qua  
summa G.<sup>m</sup> T.<sup>m</sup> inde vsque ab æstatis proxima Panegyri Aca-  
demica, cuius tu quoq; pars magna eras, colo, & cuius hoc testimonium quod-  
dam extare volui) tum exhortationibus amicorum adductus, qui sic iudicabant,  
& mihi quoq; quia quod volumus, idem etiam facile credimus, persuadebant,  
non illibenter te etiam lecturum Orationem eam, quam, dum recitaretur, dili-  
genter audire visus fuisses. Vt autem hanc meam ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΝ G.<sup>i</sup> T.<sup>x</sup> gra-  
tam fore sperem, facit candor ille tuus & nativa quedam facilitas, quam vnã  
cum alijs eximijs dotibus in te nostra diligit ac suspicit Academia: Cuius vt tu  
singulare es ornamentum ac decus, ita ipsa quoq; vicissim in id sedulo incumbit,  
vt te optimis artibus ornatum & condecoratum aliquando remittat domum: vel  
potius, quia iam pridem dedidicisti τῶν ἀγαθῶν μακρὰ μὲναι, vt loquitur Pindarus,  
aliud locorum dimittat, vbi & ingenij cultum capias vberiore, & rerum vsum  
atq; experientiam tibi compares maiorem. Ex quo haud facile dixerim, an-  
ne ad te plus utilitatis & veræ laudis rediturum sit, an ad Rempub. quæ, vbi tam  
prelata indoles tua maturitatem (quod DEVS faxit) assecuta fuerit, tuis quoq;  
consilijs & auxilijs plurimum iuuari poterit. Erit autem, opinor, & Academia  
nostræ gratum & honorificum, quod in ea adolescentes tam illustri genere, tam  
excellenti ingenio, optimorum studiorum tyrocinia deposuerint. Ad me vt re-  
deam, nihil hac compellatione aliud quero, quàm vt T.<sup>x</sup> G.<sup>i</sup> me approbem.  
Quod assecuto, abundè satisfactum fuerit. Si ad alios quoq; hinc aliquis fructus  
peruenerit, hoc lucro apponam. Vale. Altorij Mense Nouemb. A. C. ∞ 13. XCI.



# DE ZALEVCO ET CHARONDA ORATIO, PRAE-

FATIONIS LOCO RECITATA IN ACADEMIA

ALTORFINA ante praelectionem Institutionum Iuris,

Die XI. Nouemb.



**Q**VANTVM adiumenti antiquitatis aliqua cognitio & liberalis eruditio adferat ei, qui inter politicos & Iuriconsultos nomen suum profiteri & aliquando censeretur velit, neque vestrum quemquam, Auditores optimi, ignorare arbitror, & sepe ex hoc ipso loco auditum est. Nam, ne foris exempla peti necesse sit, Antecessores nostri, qui paulo ante huic cathedrae magnam cum sua laude & discipulorum utilitate praerant; nunc a nobis non sine magno animi desiderio requiruntur: ij ergo ad hanc quam dixi, rem, non verbis tantum ac praecipis, sed etiam exemplo suo studiosae iuuentuti praebant. Etenim certum est, eos demum rectissime in Iuris civilis studio versari, sibi que optime consulere, qui ita riuulos & castella consecretantur, ut fontes & capita ipsa non negligant. Ac placet vehementer, quod vir quidam magni nominis, & Philologus ac IC. eximius scripsit, Studiosum Iuris in auctorum lectione bonorum alijque liberalibus studijs Patremfam: imitari debere, qui in peregrinatione sua, qua terras ac maria obit, subinde domum cogitat, ubi dulcem vniceque animo suo caram vxorem aut sponsam reliquit. Is enim quotiescunque in gemmam aliquam, aut scite tornatum anulum, aut monile pretiosum, aut vestem, aut alia mundi muliebris ornamenta & κειμήλια incidit; studiosè omnia, quantum sibi satis sit, comparat atque componit, ut domum aliquando reuersus habeat, quo domum suam muneretur & exornet. Eodem modo qui Iurisprudentiae tamquam matronae pra-

stantissimæ amoribus deditus est, ad eam expoliendam atque exor-  
nandam omnia cetera studia referre debet. Taceo hîc, quantum  
veræ & germanæ voluptatis ipsa habeat collatio: quæ & Iuris Rom.  
æquitatem mirificè nobis commendat, dum cernimus, id in tam  
multis congruere cum aliarum gentium institutis ac legibus, vt non  
tam Ius ciuile Rom. quàm commune omnium gentium, atq; ex ipsa  
natura expressum & haustum esse videatur. Iam & illud nemo inficias  
iuerit, tamen si Romani ferè soli ex omnib. gentib. Iurisprudentiam  
ita excoluerint, atque ad id fastigium perfectionis, in quo eam sum-  
morum virorum præstantissimis ingenijs videmus collocatam, eue-  
xerint, vt hanc quasi possessionem suam ac propriam fecerint; eos  
tamen initia eiusdem Græcis accepta ferre. Quis enim hoc paulò  
humanior nescit (quod & Liuius, & Dionysius Halicarnassius, &  
Pomponius IC. in l. 2. D. de orig. iur. ac Tacitus denique memoria  
prodiderunt, Decemuiros legibus ferendis à Romanis creatos post  
exactos Reges, in Græciam profectos, inde opt. quæque & egregia  
eius gentis (à qua & alias plerasque artes, ad benè beateque viuen-  
dum pertinentes acceperunt) instituta & leges acciuisse. Ac si id no-  
bis propositum esset, nullo negotio demonstrare possemus, pleraq;  
omnia eius legislationis Decemuiralis capita, quæ in libellum 12. ta-  
bularum (tantopere ab illis quos commemorauit auctoribus dilau-  
datum, vt qui omnes omnium Philosophorum bibliothecas supera-  
rit) retulerunt: hæc ergo capita è Græcorû fontib. hausta atque in  
Rom. Remp. deriuata esse. Ingenui autem pudoris plenum, & pars  
quædam gratitudinis est, fateri per quos p̄feceris. Quæ cum ita sint,  
facturus deinceps interpretationem Elementorû Iuris ciuilis, & cu-  
pidam legum iuuentutem tamquã in vestibulum præstantissimæ ma-  
tronæ Iurisprudentiæ introducturus cum Deo (quæ prouincia mihi  
ab Amplis. & Nobilibs. prudentissimisq; DD. Scholarchis deman-  
data est) eiq; interpretationi, more in Academijs recepto, aliquid  
mihi præfandum esse videns, ex multis quæ occurrebant dicendi ar-  
gumentis, hoc mihi nunc potissimum delegi, vt de duob. Græcorû  
antiquissimis clarissimisq; legumlatoribus verba ad vos in hoc or-  
natissimo consessu facerem: & quæ de his ex optimis vtriusq; linguæ  
auctoribus comperta habeo, breui oratione vobis exponerem.

Ac ne diutius animos vestros suspensos teneam, quos iam tum  
expectare credo, quinam illi sint Legumlatores: de Zaleuco & Cha-  
ronda quædam, neque vobis ingrata, neque huic loco omnino alie-  
na (ut spero) afferam. Ideò autem ἐν παραμίλλῃ iungere placuit  
hos duos (quos ne Cicero quidem in libris de Legibus diffitetur se  
in

in multis sequi, non minus quam vel Solonem, vel Platonem, vel  
alios) quod non solum vicinis in ciuitatibus vixerint, legesque tu-  
lerint, sed etiam animis vitæque instituto inter sese fuerint similimi.  
Vtriusque porro vitam primùm, sed breuiter (neque enim tempo-  
ris diurnitas multa ad nos de ea peruenire passa est, & nemo eam  
ex professo, quod sciam, descripsit) Deinde Νομοθεσίη, aut certè præ-  
cipua quædam eius capita, recensebo: Ex qua (vt spero) videre li-  
cebit, etiam Romanos quædam esse mutuatos. Insignium quoque  
virtutum aliquot exempla, tam in vita horum, quam in Νομοθεσίη  
agnoscemus, quæ imitari ne Christianum quidem hominem pudeat;  
imò quæ non imitari, sed deserere, pudor ac flagitium sit ijs, qui  
Christo nomen dederint: Vt ita non solum ad scientiam in nobis au-  
gendam, sed etiam ad bonos mores (id quod caput est) hæc qualis-  
cunque præfatio sit profutura. Vos rogo (M. D. Rector, Illustris  
& Generose Comes, Professores omnium ordinum, viri Reuerendi,  
clarissimi & doctissimi, Studiosi item Nobilissimi & ornatissimi) vt  
dum in eo sum, vt vnico saltem in exemplo tamquàm in speculo com-  
monstrem id quod exordians dicebam, quantùm scilicet vtilitatis studio  
Iuris adferat, Antiquitatis non omninò rudem aut expertem esse, &  
dum in regionem transmarinam animo & cogitatione traicio, ea  
me, qua soletis, beneuolentia prosequamini. Nihil quidem à me  
proferri posse scio huic ornatissimo confessui, tanta eruditionis co-  
pia abundantis, tantaque rerum experientia prædito, ignotum aut  
inauditum. Vos tamè illud cogitabitis, quod quidam veterum rectè  
scripsit, Dulcem & gratam esse cognitionem etiam nota recolenti.

Ergò, vt hinc incipiam, Charondæ quidem patria (si Aristoteli  
credimus) fuit Catana, quæ Siciliae vrbs fuit, alio nomine Catina  
vocata, vt Hermolaus Barbarus in Castigat: ad Plinium docet. Iusti-  
nus historicus eius ciues Catinienses vocat, lib. 4. Est autem hæc  
vrbs in primis nobilitata illorum iuuenum pietate, Amphinomi &  
Anapij, qui ex eo incendio, quod Ætnæ crateres effusi excitarant,  
illasi parentes suos proprijs exportarunt humeris: vt est apud Ari-  
stotelem in Mirab. narrat: apud Lycurgum contra Leocratem, Æ-  
lianum in Var. hist. Corn. Seuerum, Claudianum, &c. Sunt alij (in  
quibus & Val. Max.) qui Thurium faciunt Charondam, ex Italiae  
opido eo oriundum, vbi Herodotus pater historiae vitam finiuit, &  
(vt quidam tradunt) in foro conditus est. Quidquid sit, illud certè  
plurium testimonio & mentione didicimus, Siculis & Italis vicinis  
eum leges tulisse, siue in Sicilia natus, habitavit in Italiae parte ea,

quæ olim Magna Græcia dicebatur: siue contrà. Sic enim Aristoteles 2. Politic. c. vlt. Charondas (inquit) Catanensis & suis ciuibus leges tulit, & alijs Chalcidicis ciuitatibus per Italiam & Siciliam. Et Plato in 10. De Rep. *Χαρώνδαυ μὲν Ἰταλία καὶ Σικελία ἀπᾶται νομοθέτην ἀγαθὸν γεγονέναι, καὶ σφᾶς ὠφελικόναι.* Ac potest, ni fallor, etiam vtraque ciuitas, & Catana inquam & Thurium, eius patria dici haud absurdè. Nam (vt Cicero docet 2. De Legib.) vni homini duæ possunt esse patriæ, quarum vna naturæ seu loci sit, altera ciuitatis seu iuris, quarum in hac vt maiore, illa contineatur. Quomodo & Pythagoræ, tametsi ortu Tyrrhenus esset, Samus tamen patria ciuitatis seu iuris fuit, indeq; frequentius appellatus est Samius, quàm Tyrrhenus. Et Herodotus nunc Halicarnassius vocatur, ab Halicarnasso vbi natus fuit, nunc Thurius, quod postea Thurium migrarit, vbi & sepultus est in foro, vt modò dictum. Et diuersum est initium eius historiæ, quod citat Aristoteles 3. Rhetor. ab eo, q̄ hodie in editionibus Herodoti extat. In illo est *Θερία*, in hoc *Αλικαρνασέως*.

Huic autem, quod de duab. patrijs dixi, vicinum est illud, quod à doctissimo præceptore meo Hub. Giphanio in Oratione de Constantino M. Imp. obseruatum est aliquando, Imperatores Rom. olim duos numerare natales solere: Vnum ortus seu natiuitatis seu mundi, alterum Imperij, quo scil. die id inibant: Quibus & tertium adde-  
dere possis natalem, Ecclesiæ. Sed hæc obiter. Ad rem redeamus.

Cum igitur omnibus, qui tum doctrinæ laude ac prudentiæ florebant, facilè Charondas antistaret, electus est à ciuibus suis, siue Thurijs, siue Catanensib. siue etiam vtrisque, legislator, qui Remp. eorum optimis legibus atque institutis exornaret: de quibus paulò post dicam. Nunc illud admonendum videtur: Cum Legislatorum duo sint genera, secundum Aristotelem 2. Polit. quorum alij Reip. formæ à se ipsis descriptæ atque institutæ; alij verò ei, quam ab alijs iam antè constitutam inuenerunt, Leges præscribant: ex posteriore hoc genere Charondam, vt & Zaleucum, fuisse. Neque vero idcirco minoris fieri debent hi nostri Legislatores, cum non minor sit virtus tueri & conseruare parta quàm quarere: Imò cum maiorem mereatur laudem, qui subtiliter emendat factum, eo qui primus aliquid inuenit: vt Iustinianus loquitur.

Plura de Charondæ vitæ rebusque gestis reperire non potui, nisi quod Ælianus scribit in 3. Var. hist. ipsum, cum à Catanensibus malè gratis (vt fit) in exilium esset eiectus, Rheginensibus quoque  
leges

leges præscripsisse. De morte eius infra commodiore loco post νομοθεσιαν agemus. Ad Zaleucum propero. Hunc igitur Locris Epizephyrijs leges tulisse auctores vno ore testantur. In Locris enim Epizephyrijs ( qui sunt populi Magnæ Græciæ, diuersi à Locris Opuntijs, & qui fuerunt tertij? nobili ortus est prosapia, si Diodoro Siculo credimus. nam Suidas nescio ex quo auctore annotauit, seruum & pastorem initio fuisse: postea verò libertate donatum, liberaliter & accuratè institutum, in tantum virum suæque principem ciuitatis euasisse. Ex qua discrepantia de Zaleuco occasionem fortasse arripuit Timæus ( historicus, qui quod omnia ab alijs tradita morbo quodam animi carperet, ἐπιμηχανος dictus est) vt nullum vnumquam fuisse Zaleucum scriberet. Verùm Timæi iam olim explosa est opinio, vt videre est apud Ciceronem 2. De Legibus, & Epist. 1. lib. 6. ad Attic. Eum quidam vnà cum Lycurgo Spartano, Thaleti ( qui sapientissimus inter vii. habitus fuit ) operam dedisse voluerunt. Sed horum νομοθεσιαν Aristoteles d. lib. 2. Polit. prope finem, ex temporis ratione malè ipsis subducta natam refellit. Lycurgum enim ante Romam conditam vixisse, Cicero quoq; testis est Tuscul. 5. Zaleucus verò rege Tullo Hostilio floruit, ( vt auctor est B. Hierony. in Chron. Eusebij: ) Charondas paulo pòst: Thales deniq; rege Seruio. Vnde perspicuum fit, temporum valdè imperitos fuisse, qui Zaleucum Thaletis fecerunt discipulū. At Diodorus Siculus, bonus in primis auctor, lib. 12. discipulum eum Pythagoræ fuisse scribit: Idemque Suida confirmat. Cum autem gratia & auctoritate plurimum apud suos populares valeret, electus ab ipsis legislator, nouam prorsus & alijs inusitatam Legum descriptionem instituit, initio à Dijs immortalibus facto: quam tamen rationem postea multi magniq; auctores secuti sunt, vt Plato, vt Numa Pompilius, vt Cicero. Sed hîc illud memorabile est, quod ex Aristotelis Repub. Locrorum refert Clemens Alexandrinus, eum Locris suis dicere solitum, à Minerua se leges, quas ipsis ferret, accepisse: quod & alios, vt Lycurgum, qui Lacedæmonijs; Minoem, qui Cretensibus; Numam, qui Rom. leges constituerunt, factitasse legimus, nimirum vt Leges suæ ad DEOS auctores relata, facilius ad animos hominum descenderent ( vt loquitur Liuius ) maioremque apud ciues auctoritatem haberent. Et sunt reuera leges νόμοι ἢ δῶρον θεῶν, vt ex Demosthene contra Aristogitonem Marcianus IC. refert l. 2. D. de Legibus.

Ad Zaleucum & Charondam communiter pertinet,  
quod

quod Cic. ait 2. De Legibus, Eos non studij & delectationis, sed Reip. causa leges ciuitatibus suis scripsisse, quorum prius Platonem fecisse vult innuere. Proximum est vt ad Nomothesium ipsam accedamus: quæ quidem in plerisque partibus adeò pia, proba & sancta est, vt penè dubitem, an vel à Mose ipso ea reprehendi possit. Veri DEI, qui tantum in Israële notus est, cognitionem semper excipio. Nostis autem, optimi Auditores, Platonem & eius æmulum Ciceronem à Legislatore postulare, vt præmio vtatur: Quamquã Seneca nihil sibi videri dicat frigidius, nihil ineptius, quàm Legem cum Prologo, quòd proprium eius sit munus iubere, non suadere, aut disputare. Vtra sententia sit melior, in præsentia non disputo. Horum quidem, de quibus agimus, vterque luculentum suæ Nomothesium præmii præmisit: quo priusquam ipsam recitarent legem, de laude eius dicerent, & ciuib. suis aliquid etiam persuaderent; non vi ac minis rem gerere velle viderentur.

Qua re hoc efficere studuerunt, vt qui parent, non solum obtemperarent obedirentque magistratibus, sed etiam vt eos colerent diligenterque, vt cum Cicerone loquar. Etsi autem prolixius referuntur ab auctoribus eorum præmia: nos tamen illa in breuem summam contrahamus, & quia in plerisque conueniunt, vtrumque coniungamus. Principio igitur & ante omnia ciuib. suis hoc persuasum esse voluerunt, Quod sit DEVS aliquis supra nos, qui quæ nos gerimus, audiat & videat & arbitretur, vt Plauti verbis vtar: Eisdemque ciues oculis & animo contemplari iusserunt hoc aspectabile cælum atque hoc Vniuersum, eiusque ornatum pulcherrimum & ordinem constantissimum & concentum suauissimum secum perpendere, quæ neque hominum sint opera, & multò minus fortunæ & casus. Eundemque DEVM sanctè & castè ipsis colendum esse, vt omnium, quæ in vita sunt bona & honesta, auctorem atque approbatorem; malorum verò osorem ac vindicem. Colendum autem esse ritibus patrijs. Omnium item consiliorum & actionum ab eo capiendam esse primordium. Animum quemque suum ab omni malitia, improbitate & turpitudine castum, integrum, intaminatumque conseruare debere: quòd diuinum numen non tam sumptuosus & magnificus improborum hecatombis & sacrificijs, quàm bonorum virorum iustis & honestis factis ac moribus delectetur. Non tam igitur pœnarum ciuiliu metu, quàm propter concordiam & amicitiam cum DEO à malis facinoribus abstinendam esse. Nulli enim improbo DEVM esse amicum aut sese sociare. Probitatem verò & virtutem, morumque sanctimoniam esse maximum

num & perfectissimum sacrificium, quod DEO ab homine exhiberi possit. Quod si vir bonus ab improbo se muneribus affici nolit: quid de DEO cogitandum? In quo animi proposito ut quisque constanter perseveret, semper ante oculos sibi proponere debere diem vitæ extremum: quo die facinorum præteritorum memoria & conscientia semetipsum excrucians ac torquens animus, facta ea nolit, ac detestari maximopere soleat; sæpè etiam ad odium immane sui ipsius & omnium adeò rerum (quam nos desperationem vocamus) adigatur. Quod si quis animo sit ad scelera propenso ac proclivi, ei malo duplex esse remedium, ut & templa & aras ac delubra Deorum frequenter, sacrisque vacet, assiduis utens ad DEVM votis, rogationibus ac supplicijs, & bonis viris sese adiungat, quorum consuetudine & sermonibus de virtute, de honestate, de officio, à pravis cogitationibus ac libidinib. auocatus, melior reddatur: Idque tamdiu esse faciendum, quoad virtutis amor in naturam cujusque vertatur. O viros præclaros & diuinos! qui eam animis civium inferere voluerint opinionem, à qua omnia laudabilia & honesta instituta & facta proficiscuntur: eam contrà, à qua vna, quidquid vsquã turpitudinis ac scelerum perpetratur, tamquam è fonte ebullit, ex iisdem euellere atque extirpare. Quàm verò metuendum est, ne hi Ethnici in extremo iudicio contra multos nomine Christianos consurgant, eosque impietatis condemnent! quemadmodum de regina Austri & alijs Saluator noster ait. Scribit Plato in 12. De Repub. Periuria trium ferè causarum committi ex aliqua: vel quòd homines Deos nullos esse credant: vel si sint, negligere ipsos rerum humanarum curam, nec gratia tangi, nec ira, nec sibi exhibere negotium, nec alijs, ut Epicurus dicebat: vel denique, si & sint Dij, & rerum humanarum curam gerant, & sceleribus irascantur, posse tamen eos vel exigua placari victima, ut iram remittant, & pœnæ gratiam faciant. Quod ille vir grauis. & sapientissimus ait de periurio, ne putemus id periurij solius esse proprium. Omnia flagitia, omnia scelera ex hoc fonte promanant, quod fatuus & impius in corde suo dicit, Non est DEVS: Non videt nos Altissimus: Quando ad me veniet? ut scriptura passim loquitur, & Iuuenalis quoque Saty. 13. Rectè igitur atque ordine Legislatores nostri fundamentum hoc Reip. & Legum suarum posuerunt, ut qui scirent, non tam humanis imperijs ac legibus Rempub. contineri, quàm diuinæ vltionis metu.

Et hæc de Procemijs eorum breuiter referre visum est, cum quidem multò plura possem. Nunc ad ipsa legum capita venio: & primum Charondæ. Ex quib. cum nonnulla sint cum alijs legislatorib.

communis, ego hic tantum propria quædam persequar. Primum igitur Aristoteles dicto loco ab eo institutum esse scribit Iudicium falsi testimonij, siue *Ἰσχυρομαχίας δίκην*, ut ipse vocat: Quod iudicium leges Decemvirales quoque capitale esse voluerunt. Sanxerunt enim teste Sex. Cæcilio IC. apud Agellium lib. 20. c. 1. ut qui falsum dixisse testimonium conuictus esset, de saxo Tarpeio deijceretur: (quam & Incestus pœnam apud Rom. fuisse ex Tacito lib. 6. Annal. intelligimus) Quæ lex si non abiisset postea in desuetudinem, putat Cæcilius, pauciores exituros, qui falsum testimonium dicant: quod maleficij vleiscendi acerbitas benè cauteque viuendi sit disciplina. Hodie autem non potest quis ita damnari, ut de saxo præcipitur. l. 25. si diutina. §. 1. D. de pœnis.

Proxima est sanctio in Delatores & Calumniatores. Nam si quis alium falsò & per calumniam detulisse conuictus esset, eum hac pœna affici voluit, ut myrica coronatus per vrbs vicos ac plateas incedere cogere: deinde exilio multaretur, ut Resp. hac peste liberata tranquillitate frueretur: Quam pœnam multi, ignominia impatentia sibi ipsis necem consciscentes, anticipauerunt.

Sequitur aliud caput: Ne cui liceret liberis ex priore matrimonio susceptis nouercam superinducere. Qui contra fecisset, ei neque ad honores in Rep. gerendos, nec ad consilium publicum vquam pateret aditus. Putauit enim Charondas, fieri vix posse, ut qui malè in suos ipsorum liberos consulissent, (quod ferè faciunt patres huiusmodi) ij patriæ Reique publicæ benè consulant: quod & Æschines Demostheni contra Ctesiphontem grauissimè obiicit. Quamquam autem hæc pœna secundarum nuptiarum durior alicui videri queat: notum tamen est, etiam iure Rom. secundas nuptias pœnis quibusdam constringi, quas ex Cod. & Nouellis Iustiniani petere licet. Neque certè sine causa. Nam ut B. Ambrosius scribit in 6. Hexaëm; Mutato concubitu patres deprauantur, prælati filijs posterioris copulæ, neglectis autem his, qui ex priore pgeniti sunt. Et ut Epigrammatarius fecit: *ΜΗΤΡΥΜΑΙ ΠΡΟΓΟΝΟΙΣΙΝ ΑΙ ΚΑΚΟΙΣ*. Latè patet hic locus, ut abundare quis in eo facilè oratione possit. Sed mihi contrahenda sunt vela. Tantùm audite, si vobis placet, Iambos quosdam, qui de Græcis à Diodoro Siculo relatis sic fortasse latini fieri possunt:

*Quisquis nouercam liberis induxerit,  
Suos nec inter sit celebris gloria  
Ciues, nec vlla eius sit æstimatio:*

*Vt qui suis spontaneum rebus malum  
Arcessat, attrahens sibi molestias.*

Et subjicitur elegans dilemma:

*Nam siue matrimonium prius fuit*

*Felix, in hac felicitate desinas:*

*(Quis enim secundum huic par futurum spondeat?)*

*Siue illud haud cessit tibi ex sententia,*

*Quis est furor, periculum facere iterum?*

*Nam qui bis vno peccat in negotio,*

*Re vera eum pro stulto habere conuenit.*

Durius etiam ille, quisquis est, qui sic fecit:

*Pignora coniugij moriens cui prima reliquit*

*Vxor, si repetat iura secunda thori,*

*Quæris quid faciat? Proprijs incendia miscet*

*Ædibus, & dextra suggerit ipse facem.*

Plato moderatius ac lenius, qui in xi. de Legib. fert legem, non cogentem, sed suadentem (*συμβουλευτικὸν νόμον, ἢ ἀναγκαστικόν*, vt ipse loquitur) vt qui liberos habeat ex priore matrimonio, à secundo absteat, sed liberos suos ipse potius educet, quàm nouercæ eis inducat. Quod quidem si suadendo obtineri posset, optimum fortasse esset. Vnde enim frequentiores liberorum exheredationes, præteritiones, defraudationes, quàm ex eo, quod parentes nouercalibus delinimentis instigationibusve corrupti, iniuriam aduersus liberos suos testamento inducunt, malignè circa sanguinem suum inferentes iudicium, vt loquitur IC. in l. 4. D. de inoff. testa:

Porrò etiam *κακρομλίας δίκην* instituit, nempe vt futuram quoque & nascentem improbitatem grauissimis pœnis coerceret atque auerteret. Hoc enim boni Legislatoris munus est, dare operam, non tam vt puniantur qui deliquerint, quàm vt nemo delinquat, si fieri possit, vt alicubi Plato scribit. Tametsi ergo in plerisq; Rebuspub. nullæ leges in eos, qui prauis gaudent consortijs, constitutæ fuerint (vt neque Ingrati accusatio vsquam recepta fuit, præterquam apud Persas & Athenienses, & apud hos itemq; apud Ægyptios *αργίας* siue inertiae crimen, teste Xenophonte, Seneca, Nic: Damasceno, Valer. Max. & alijs) hic tamen noster Legislator illos quoque causam in iudicio dicere voluit. Sciebat quippe vir sapientis. Orientibus malis ac vitijs obstruendas esse vias; Adultam ac robustam improbitatem, quæque iam radices in animis egerit, vix ac ne vix quidem extirpari posse, non aliter atque morbus qui iam homini familiaris,

& (vt Medicorum filij loquuntur) hecicus est factus, non amplius  
vlla ope medica curari potest.

Sed neque cum ijs, qui ob iniustitiam publicè à ciuitate notati  
essent, quemquam versari aut consuetudinem habere voluit vllam:  
Quod ad tit. Iuris nostri eum pertinet, qui est, De his qui notantur  
infamia.

Huic capiti ad fine est illud, quo iussit, vt etiam à sermonibus  
turpib. atque absœnis abstineretur: quippe quibus animi etiam  
benè nati inquinarentur, & ingeneraretur eis impudentia, quæ se-  
cundum Xenophontem, ad pessima quæque dux est. Præclare nam-  
que Aristoteles in 7. Politic. ἐν τῷ ἀρχαίως λέγειν ὅ,τις τῷ αἰσχροῦ,  
γίνεται καὶ τῷ ποιῆν συνεγγυς. Et vt prouerbum habet Plautinum,  
Flamma fumo proxima. Charondas itaque ciues suos Persarum si-  
miles esse voluit, qui ne dicere quidem fas esse putabant, quod fa-  
cere non liceret, vt est apud Xenophontem & Nic. Damascenum.  
Quid quod etiam iure Rom. qui turpib. verbis vtitur ad virginem  
aut matronam, iniuriarum tenetur, licet pudicitiam eius non atten-  
tarit. l. 15. Item apud §. 21. qui turpib. D. de iniur. Priusquam au-  
tem hinc abeam, recitabo vobis de prauis sodalitijs Alcæi versus  
miræ suauitatis, quos Athenæus retulit:

Ἀδμήτη λέγον ὦ ταῖς μαθῶν, τὰς ἀγαθὰς φίλῃ\*

τῶν δειχῶν δ' ἀπέχε, γνὸς, ὅπῃ δειχῶν ὀλίγη χάρις. id est:

Admeti tibi fac regula sit cordi, vt ames bonos:

Peruersos fugias. Parua enim ab his gratia prouenit.

De pupillorum custodia & educatione memorabilis quoque est  
eius lex, Eaque huiusmodi: Vt bona quidem & facultates pupillo-  
rum à propinquis paternis (qui propriè in iure nostro agnati) cu-  
rarentur & administrarentur; Ipsi vero pupilli apud propinquos à  
materna linea (qui propriè cognati) educarentur: Idq; opt. ratione.  
Ita namque futurum videbat, vt neque materni cognati, ad quos  
scilicet hæreditas aut successio legitima siue ab intestato non perti-  
neret, insidias vitæ pupilli struere vellent; & agnati paterni, si ma-  
ximè vellent, ei insidiari non possent, cum corporis eius cura non  
esset ipsis commissâ: Bona vero eiusdem tantò maiore cum cura &  
fide essent administraturi & conseruaturi, quòd scirent, ad se eorum  
successionem esse peruenturam, si quid pupillo humanitùs conti-  
gisset. Agnoscitis, opt. Auditores, vel me tacente, quam multa hîc  
insint, quæ cum iure nostro ciuili mirificè congruant. Agnoscitis  
tit: qui & in Pand. & in Cod. relatus est: Vbi pupillus educari vel  
morari

morari debeat, & de alimentis ei præstandis. Agnoscitis originem legis 12. tabularum, quæ erat: Si cui suus hæres nec extabit, agnatus proximus familiam habeto. Agnoscitis alia, quæ euoluere nimis longum. Paulò aliter Solo, vt est apud Laërtium, qui non solùm prohibuit curatorem cum pupillorum matre habitare, verùm etiam cauit, ne curator fieret is, ad quem pupillorum facultates post illorum obitum essent peruenturæ.

Alio capite Ludos literarios aperiri voluit, in quibus vt omnium ciuium liberi ex æquo erudirentur, nec pauperum liberi, qui didactra per egestatem persoluere non possent, institutione liberali magno cum Reip. incommodo carere cogerentur, professoribus & magistris salaria è publico constituit. Videbat enim, quantum in educatione iuuentutis recta & proba ad Reip. felicitatem, praua ac peruersa ad miseriam momenti esset. Videbat, quantæ essent litterarum vtilitates in omnibus vitæ partibus, quarum beneficio tot tantæque res tam publicè quàm priuatim expedirentur & conficerentur, epistolæ, leges, plebiscita, testamenta, pacta, fœdera, contractus, aliæque ad vitam hominum maximè necessaria. Videbat, litterarum beneficio & mortuos viuere atque cum viuentibus colloqui, & qui procul absunt sermones inter se miscere posse: Litteris conferuari atque ad posteritatem transmitti dicta & facta fortium & prudentium hominum, oracula & responsa diuina, Philosophiam denique & eruditionem vniuersam: vt naturæ quidem accepto ferendum sit quod viuimus; litteris autem quod benè beateque viuimus: vt præclarè hanc legem commendans Diodorus Siculus differit. Hæc igitur cum perspiceret Charondas, stipendio etiam publicitus præbito magistros constituit: & quidem tantò maiore eos honorauit salario, quàm ij qui ante ipsum medicis pro cura ægrotoꝝ è publico honorem habuerant, quantò præclarius est, animis qui ignorantia perturbationibus agitantur, medicinam facere, quàm sanitatis corporum curam gerere. Vnde fit etiam, vt corporum quidem medicis optemus numquam nobis opus esse; at cum magistris eruditionis, qui quasi animorum quidam medici sunt, omne tempus libenter transigere velle debeamus.

Alio capite (quod ex Theophrasti libello De Legibus didicimus) constituit, vt in emptione & venditione statim cum res traditur, numeretur pretium, nec prius vel dominium transeat in emptorem, vel ius de re vendita dicatur, quàm id persolutum sit. Quam legem obseruatum est Solonis quoque fuisse: eamque non solùm Plato secutus est in xi. De Legibus, sed & xii. tabulæ Decemuirorum, vt

est videre ex §. venditæ. Instit: De rerum diuis. Eiusque singularis iuris de rei venditæ dominio Varro quoque meminit lib. 2. De re Rust. c. 2. & Quintil. Declam. 36. Sed hoc strictum ius Prudentum interpretatione postea nonnihil dilatatum fuit, idque propter libertatem commerciorum, quæ sæpè impediretur, si nulla fieret emptio, nisi ad manum & in promptu esset argentum præsentarium. Quæ de re commodius & pluribus aliquando ad d. §. venditæ. Deo dante explicabimus.

Alio capite sanxit, vt capital esset, si quis in concionem armatus venisset: idque ad auertendas seditones & cædes. Quam legem quo pacto ipsemet confirmarit, infra cum de morte eius agemus, indicabitur. Extra concionem enim totius penè Græciæ instituto licebat gladio accinctis incedere, quem morem Aristoteles lib. 2. Polit. cap. 6. ijs annumerat, qui barbariem quandam redolent, & Thucydides primùm ab Atheniensibus. ( vnde Cicero humanitatem, doctrinam, iura ac leges ortas scribit ) abiectum esse testatur.

Præterea præcepit, vt ditiores tenuiorum inopiam subleuant; sed eorum demum, quos non sua culpa, sed aliqua depauperauisset calamitas: quod pertinent ea, quæ de validis mendicantibus in iure nostro sancuntur.

Præcepit item, vt senes corriperent iuniores fortè delinquentes, ijsque pudore & verecundia præirent. Huius loci sunt, quæ passim à Platone, & potissimum xi. De legib. præcipiuntur de correptione peccantium, quam ijs permittit, qui non minus quam xxx. annos nati sint: quæ item à IC. & Impp. tractantur in tit. De Emendatione propinquorum, & De emendatione seruorum.

Audiuimus aliquot leges, ad tempus ferè pacis pertinentes: videamus etiam quid de re militari constituerit. Mortem pro patria honesto ciui oppetendam esse potius, quàm vitam per dedecus producendam. In eos autè, qui in bello deseruissent aciem, aut omninò arma pro Rep. capere noluisent, peculiari quodam modo animaduertit. Nam cum alij Legislatores omnes his talibus capitibus supplicium proposuisent, & Lycurgi quidem lege lapidea tunica esset parata ei, qui hosti terga obuertens in castra redijsset: Charondas eos muliebri veste indutos in medio foro triduum ipsum desiderare iussit. Quæ quidem sanctio præterquam quod benignior fuit alijs aliorum legibus, simul etiam alios ciues exemplo deterruit ab ignavia & turpitudine simili. ( Nemo enim bonus & honestus non multò malebat mortem oppetere pro patria, quàm in patria affici tanta ignominia. ) Tum denique huius facinoris reos non statim è medio sublatos

sublatos alijs Reip. temporibus reseruauit ad alterius belli usum, in quo & patriæ prodesse, & copiam haberent, superiorem ignominiam notam præclaro aliquo facinore eluendi atque abolendi. Romani quibus pœnis affecerint emansores, desertores, & detrectatores militiae, Arrius Menander docet in l. 4. D. de re milit. alijque Iurisconsulti sub eod. tit.

Alio capite prohibuit, ne quis defuncto, lessum faceret; (agnoscitis & verba & rem x i i. tab.) sed bona potius recordatione eum superstites prosequerentur.

Denique pro maximis duci sceleribus voluit, Deorum contemptum, iniurias parentibus dedita opera illatas, magistratuum ac legum neglectiorem, & contumeliam voluntariam quæ aduersus iustitiam fiat.

Vt autem hæc aliæque ipsius leges (nam plures de industria omitto) roborem suum haberent, præcisè sineque exceptione eas obseruari præcepit: nec cuiquam permisit, vt de lege, quantumvis illa dura videretur, disputaret aut conquereretur: Sed omnibus tenendum erat illud, quod Socratem dixisse accepimus, Legi quantumlibet rigidæ & austeræ, sicut & patri ἀγρόμωσι, morem tamen esse gerendum: & illud, quod ex Vlp. tritum est: Hoc quidem perquam durum est, sed ita lex scripta est. l. 12. prospexit. §. 1. D. Qui & à quibus manumissis. Videbat nimirum vir sapientiss. quanta existat in ea Rep. confusio ac perturbatio omnium rerum, in qua leges leui momento ab vnoquoque conuellantur & mutantur. Videbat, Eum qui leges propter sua quædam incommoda tollere vellet, omnes ad vnam abrogaturum, vt prudenter Cato apud Liuium in suasionem legis Oppiæ disserit, lib. 35. Sciebat, Eam Rempub. quæ legibus licet deterioribus vtatur firmis atque immotis, multum bonitate præstare illi, quæ bonis quidem & præclaris, sed cassis & irritis: vt grauissimè à Thucydide scriptum est. Ex quo fonte & Prudentum illud manauit principium, Vitandam esse legum correctionem quantum omninò potest: De quo loco & Aristot. 2. Polit. c. 6. in vtramque partem præclare & prolixè explicat. In qua quidem re à multis Tribonianus noster & Theodora Iustiniani vxor grauissimè reprehenduntur, qui leges pretio & gratia fixerint sæpè ac reflexerint, & potissimum in Nouellis. Noster Legislator illud cogitauit, quod Macer I.C. eleganter scripsit in l. 12. D. de re militari (Ipse de duce belli loquitur, sed idem est in quolibet magistratu togato:) Officium (inquit) regentis non tantum in danda, sed etiam in obseruanda disciplina constitit.

Ne

Ne tamen ( vt fit ) commutatis fortè temporib. & numeris aut attributis nulla omnino legum, quarum iam manifesta esset iniquitas, mutandi ratio superesset, hoc remedium Charondas inuenit, vt qui legis alicuius, quam iniquam putaret, mutationem pro concione suadere vellet, collum laqueo insertum tandem haberet, quoad populus de legis mutatione statueret, annè illa Reip. expediret. Quod si mutatio placeret populo, & is nouam legem vellet iubere, nouæ legis ferendæ auctor saluus dimitteretur. Sin secus, vt e vestigio adducto laqueo suffocaretur. Qua tam dura condicione adnexa, audaciam nouas rogandi leges mirum quantum frenauit ac repressit. Tres enim non amplius ex omni memoria leges commemorantur, quæ apud Thurijs hac ratione sint emendatæ, cum earum emendationem ipsa tempora & attributiones postulassent: Quamquam Demosthenes in Timocratem, vnam tantum, de qua primo loco agam, fuisse auctor est. Cum enim pœna talionis esset proposita ei, qui alteri oculum exclusisset, vt ipse quoque oculo orbaretur: luscus quidam, cui aduersarius suus crebrò minaretur, se eum ex Coclitis prosapia in Appij, Claudij, Cæci familiam tradendum ( æquo enim se laturum animo vnus oculi iacturam, dummodo aduersarium suum vtroque excæcatum videret ) luscus inquam ille, qui sibi in cæcitate vitam minimè vitalem fore existimaret, vt aduersus illius petulantiam ac libidinem tutus esset ( quod nostris moribus mandatis de non offendendo cauere solet ) petiuit hoc insuper addi ad legem talionis, vt si duos habens oculos coclitem aliquem ex oculasset, vtroque ipse lumine orbaretur. Cumque collum laqueo inseruisset, obtinuit, vt legi subrogaretur, ac dimissus est. Paulò hæc aliter refert Diodorus Sic: nimirum coclitem hunc tum demum proposuisse hanc rogationem, cum iam oculus sibi esset exclusus, & commiseratione populi facilè emendationem impetrasse. Sed parum interest. Illud addo, Solonem cauisse lege quadam, vt etiam is vtroque oculo excæcicaretur, qui alteri vnum duntaxat exclusisset: vt est apud Diog. Laërt.

Alteræ Charondæ lex, quæ hac ratione abrogata fuit, eiusmodi erat, vt permitteret vxori à viro discedere, & cum alio, quocunque liberet, matrimonium contrahere. Hæc lex cum incommoda videretur cuidam propectæ ætatis homini, sed cuius vxor adhuc esset iuuenula, in concionem processit, laqueo insertum habens collum, & legi hoc insuper addi rogauit, vt si qua à marito diuertere vellet, ne cui deinceps iuniori marito nuberet, quam prior fuisset. Ita factum, vt & ipse iuuenulam suam retineret, &

alijs

alijs in posterum cauere matrimoniorum securitate conciliata.

Tertio lex erat de virginibus, quæ ἐπίκληροι à Græcis vocantur (quam & Solo Atheniensibus tulit) vt ei proximus agnatus, similiterque ipsa proximo agnato addiceretur: (Cuius rei & in Comædijs sæpè fit mentio) & necessitas agnato imponebatur, vt vel duceret eam, vel drachmas quingentas daret dotis: optio inquam proximo agnato dabatur, vel ducendi eam, vel dotandi. Iam cum quædam pupilla, nobilis quidem, sed pauper omnibusque vitæ necessarijs destituta, neminem cui nuptum collocaretur (vt fieri assolet) reperiret, ad populum confugit, & in concione cum lacrimis de sua solitudine & contemptione conquesta, facillè obtinuit, vt lex perferretur, per quam omninò, qui genere proximus esset, eam duceret sine dotis datione, nec dotem præstando liberaretur. Sed ne quid dissimulem, hoc institutum, vt nouæ legis auctor collum laqueo infereret, ab alijs (in quib. & Demosthenes in Timocratem) Locrensibus tribuitur, & Stobæus quoque id Zaleuco difertè adscribit: vt conijcere liceat, ab vtroque Legislatore, qui & alia inter se habuerunt communia, introductum fuisse tam apud Locros, quàm apud Catanenses & Thurios.

Absolui Charondæ Nomothesium, quam fortasse nec vobis retulisse iniucundum aut inutile fuit. Ipse quidem eam in epulis festis post Pæanas tamquam necessarium quoddam carmen recitari voluit: quemadmodum & Cretenses liberos suos assuefacere solitos accepimus ad leges cum quodam concentu & harmonia ediscendas, vt musicæ delectatio protelo esset ad eas tantò facilius memoria mandandas, & ne quem ignorantia excusaret, si quid aduersus eas commisisset. Nam vt eleganter Imp. in l. 9. C. De Legib. Leges sacratissimæ, quæ constringunt omnium vitas, intelligi ab omnibus debent, vt vniuersi præscripto earum manifestius cognito, vel inhibita declinent, vel permissa sectentur, &c.

Hoc fortasse non fuit omittendum, quod Aristoteles initio Politic. scribit, eum domesticos seu familiares elegante vocabulo appellasse *ἰμοσιπύρας*: Itemque quod apud Athenæum reperit lib. 14. Dipnosoph. Charondæ nostri modos quosdam musicos fuisse, qui Athenis inter pocula cantari solerent. Quales autem hi fuerint, non addit, nec legi alibi. Conijciat quis non absurdè, vel Deorum hymnos continuisse, vel fortium virorum res gestas & ἀνδραγαθήματα, quorum encomio alij ad eorum imitationem excitarentur, vt ex Ciceronis Tuscul. 1. & Æliano discimus.

Sed iam tempus est de excessu Charondæ pauca dicere. Is verò admirandus, ne dicam stupendus, fuit. Cum enim legem tulisset, vt supra dictum, Ne quis cum ferro in concionem veniret; Qui contra fecisset, statim capite pœnas lueret: ipse aliquando è rure longinquo in urbem rediens, subitò indicta concione ne domum quidem iuit, sed statim nihil de lege sua cogitans, vt erat gladio accinctus in concionem venit. Quid fit? Admonitus à quodam de admisso contra legem, cum posset vel erroris ac imprudentiæ iusta excusatione vti (delicta enim sine dolo & certo animi proposito non committuntur) vel culpæ ac delicti, si quod esset, veniam precari, & (vt erat benè meritus) facillè impetrare: ipse ne aut alijs calumniandi ansam, aut elabendi occasionem exemplo suo præberet, quam tulerat legem suo sanguine sanciuisset & corroborauit. Distrieto enim gladio in ipsa concione inspectantibus ciuib. incubuit. Atque hic exitus Charondam tulit, non sorte, non vi, non iure, sed propria ipsius voluntate. O factum viri sapientis & magnanimi sempiterna dignum memoria! Rigidusne vobis, Auditores, ac præfractus videtur hic animus, & hic spiritus? At quàm multi iudices nimis remissi ac lenti? qui licet aliquando admissa in alijs vindicent, suis tamen suorumque culpis facillè ignoscunt, vt Mæuius ille Horatianus. Hunc verò nostrum audire mihi videor tale quid suo facto acclamantem: *Sic agitur censura, & sic exempla parantur,*

*Cum iudex alios quod iubet, ipse facit.*

Ac mihi quidem eam Charonda certasse videtur Romanus ille Manlius Torquatus, qui filium suum, quòd aduersus imperium cum hoste pugnasset, quantumuis victorem, securi percussit. Et regem quendam Tenedium legimus pœnam, quam adulteris irrogarat, vt scil. vtrique caput amputaretur, etiam in filium suum exercuisse: Eaque de causa in numismatis à se cusi parte altera securim, altera duas facies in vno collo sculpsisse ad terrorem aliorum. Simile denique seueritatis exemplum in se & suos iam mox de Zaleuco referam, vbi prius Nomothesium eius, sed paucis, exposuero. Nam de proœmio legum ipsius supra iam dictum est.

Ergo post DEVM immortalem proximum haberi honorem voluit parentibus, Legibus, & magistratibus. Magistratus autem legum semel sancitarum custodes atque executores esse, & pœnas à transgressoribus repetere debere: quòd nullum sit maius in Repub. malum, quam anarchia, vbi nemo nulla nemini in re obtemperat, vt de Cyclopibus Euripides. Sed neque in iudicando magistratus quidquam vel amicitiae & gratiæ ac misericordiæ, vel odio ac inimicitiae

amicitiæ cuiusquam tribuere debere: his enim rebus peruerti iudicia, vt præclare Cæsar apud Sallust. & Marcius IC. in l. 12. prospiciendum. D. de pœnis. Eosdem magistratus ijs qui parent venerabiles esse voluit, ad quorum vel conspectum erubescant, & à delictis absterreantur.

Cauit etiam, Ne quis vllam aliam ciuitatem patria sua cariorẽ & antiquiorem haberet, quæ bono ciui cum nulla alia ciuitate aut regione sit commutanda: Quod qui aliter sit affectus, facili negotio ad prodendam patriam adduci posse videatur. Quam eandem ob causam scitis Lyfiam quoque oratorem grauter reprehendisse id, quod vulgò dicitur, Viro forti omne solum pro patria esse, Et, Patriam esse vbicumque sit benè. Pindarus tamen in Olympijs putat, quemadmodum nauis tutius duabus innitatur ancoris, ita & patrias plures habere ob varios fortunæ casus salutare esse.

Neminem etiam ciuium cum altero implacabiles & immortales inimicitias exercere voluit; sed vt Euripides ait, ἀσκήμ σάφρον' ἄνοργήσιν, (quod esse vult σάφρονος πρὸς ἀνδρὸς) quasi paulo post in gratiam cum aduersario sis rediturus: id quod à Bione quoque præceptum fuisse legimus. Est enim litium ac discordiarum multitudo & infinitas pestis ac perniciës Reip. cuius salus & incolumitas concordia & amicitia ciuium inter ipsos continetur: ad quod principum politicum Iurisconsulti quoque passim alludunt.

Præterea, (vt ex Æliano & Athenæo lib. 10. discimus) prohibuit capitis pœna indicta, ne quis ciuium iniussa Medici aut extra valetudinis causam vinum biberet. Norat enim quantum per ebrietatem delictorum & scelerum committatur, quantaque ex vino malorum seges pullulet. Ideoque ebrietatem à ciuibus auertere & extirpare funditus, quàm per ebrietatem peccantes dupli pœna cum Pittaco afflicere maluit. Benignius paulò Romulus, qui vinum fœminis tantum, vt sexui imbecilliori & sequiori proposita capitis pœna interdixit.

Strabo lib. 6. Geograph. ex Ephoro hoc quoque Zaleuci institutum adfert, quo cautum fuit, ne delictorum pœnæ amplius essent arbitrariæ, aut in iudicum arbitrio positæ; sed legitimæ, certæ, ac definitæ suo quæque crimini propositæ, vt furti laqueus &c. Sapientissimè quidem certè. Vidit enim, sæpè magistratus ac iudices gratia, vel odio vel sordibus oculos habere ita occæcatos, vt nullum iuris ac iustitiæ lumen intueri possint. Nouerat, eum qui legem præesse velit, rectam rationem sine affectib. rebus præficere; Qui hominem, sæpè belluam, quod is sæpè affectuum procellis

transuersus rapiatur. Lex autem ( vt eleganter Varro scripsit )  
neque innocenti propter similitatem obstringillat, neque nocenti  
propter amicitiam ignoscit: sed, vt ait Cicero, cum omnibus vna &  
communi voce loquitur. Quod tamen in reprehensionem vocant  
quidam apud Liuium, dum Regem ac Legem inter se contendentes,  
illum esse aiunt hominem, apud quem gratiæ ac veniæ locus sit;  
hanc esse rem duram atque inexorabilem.

Sed & sumptuarijs legibus ( quas aliquot etiam apud Roma-  
nos fuisse ex Agellio & Macrobio scimus ) admodum ingeniosè &  
solerter excogitatis luxuriam ciuium, & quidem fœminarum potif-  
simum, castigauit ac repressit. Nam cum alij Legumlatores pleri-  
que multam irrogassent pecuniariam, qui in leges sumptuarias pec-  
cassent, nihil tale Zaleucus; sed turpibus tantum appositis condi-  
tionibus omnia omnibus permisit. Nam ita demum licere voluit  
mulieri aurum in mundo suo adhibere, & picta indui veste, si pro  
meretrice ab omnibus haberi vellet. Honestæ matronæ simplice  
cultu & veste candida amicirentur. Mulierem liberam non pluribus  
vna ancilla pedisequa & cognatis suis comitatam iussit in publicum  
prodire, nisi si ebria videri vellet: Neque noctu eam foras prodire  
permisit, nisi si probri insimulari vellet. Viris autem prohibuit an-  
nulum auteum gestare, & veste Milesia indui, nisi scortorum secta-  
tores, aut alienorum subsessores cubilium videri vellent: quemad-  
modum & Magos Persarum exteriore cultu & vsu auri suis inter-  
dixisse, auctor est Laërtius lib. 1. Hac autem ratione Zaleucus id af-  
secutus est breui, & quidem sine pœna, quod alij vix longo tempo-  
re grauique interminata pœna allequi potuerunt, vt ciues modestiæ  
& temperantiæ essent dediti. Quis enim integræ frontis quasi signo  
turpitudinis ppriæ sublato omnium sese risui ac ludibrio exponere  
voluisset? Sic & Athenis lex fuit, vt meretrices tantum gestarent  
vestes floridas & picturatas, teste Suida: Et Romæ quoque olim di-  
uersum fuisse meretricum & matronarum habitum constat. Ille  
enim lutea veste utebantur: vt scilicet quemadmodum, Plauto teste,  
diuertunt mores virgini longè ac lupæ, ita etiam vestib. ipsis inui-  
cem discernentur. Quare qui matronæ aut virginis pudicitiam  
attentari, cum eæ meretricia veste induta essent, iniuriarum teneri  
negatur ab Vlpiano in l. 15. item apud Labeonem. §. 15. si quis vir-  
gines. D. de iniur.

Verùm ommissis iam alijs Zaleuci legibus, ne nimium hæc ex-  
crescat cōmentatio, vnā tantum postremo loco adiungam. Ea est,  
quam supra dixi proprio exemplo Legislatorem sanciuisse. Adulteri  
pœnas

pœnas varias apud nationes varias fuisse, nec vobis, opinor, igno-  
tum est, & suo loco ac tempore aliquando explicabitur. De eodem  
& Zaleucus legem tulerat, vt qui adulterij esset conuictus, ei vter-  
que oculus erueretur. Cum autem in eam & Zaleuci ipsius filius  
peccasset, & adulterij reus esset peractus, iamque secundum patris  
sui legem plectendus esset; ciuitas quidem tota filij crimen patris  
virtuti ac meritis haud grauatè se condonaturam professa est. At pa-  
ter legem vrgens, eamque etiam sua & suorum pœna confirmari  
debere contendens, cum tamen hoc impetrare à populo non posset,  
vt vtroque oculo filius orbaretur, tandem admirabili Iustitiæ pie-  
tatisque paternæ temperamento hoc effecit, vt & lex inniolata ser-  
uaretur, &, quantum salua lege poterat, affectum filio paternum  
præstaret. Nam vnum filio oculum excludi iussit; alterum sibi.  
Tandem verò, vt Suida annotauit, pro patria fortissimè dimicans  
mortem oppetijt, vt suo quoque exemplo alios doceret, quàm sit  
dulce & decorum pro patria mori.

Habetis, Auditores opt. quæ de Charonda & Zaleuco co-  
gnoscere potui: quorum commemorationem qualemcunque vt  
non ingrati vobis accidissè patiamini, & vt vos huius temporis  
ne pœniteat, vehementer rogo.

De me ipso, deque huius muneris mihi demandati partibus, no-  
lim expectetis dum aliquid dicam. Malo enim re ipsa quidquid in  
me est, ad vtilitatem studiorum florentissimæ iuuentutis, atque ad  
hanc Spartam exornandam conferre, quàm verbis prolixè polliceri.

Quorum illud vt præstare possim, DEVM opt. max. auctorem  
honestarum legum & ordinis politici, omnisque  
boni fontem, supplex veneror & oro.

D I X I.



LECTORI BENEVOLENTI. S.

**V**M Legumlatores nostri in Proximijs suis homines potissimum mentione ac respectu mortis à malis facinorib. deterreant, quòd vnusquisq; ei vicinus conscientia ac pœnitentia illorum angi so- leat: causam verò huius rei non addiderint, quæ e. est procul du- bio, quod animus malè conscius iudicium de se futurum ac sup- plicia impendentia (quid enim metueret, qui morte omnia finiri crederet) præ- sagit: vt constet, ne id quidem Ethnicis ignotum fuisse, placet hîc subijcere PHI- LEMONIS COMICI IAMBOS præclarissimos, quos de Græcis Latinos ali- quando feci. Extant autem Græci partim apud Iustinum Martyrem, οὐ τὸ πῶδ' ἠνοαρχίας, partim apud Eusebium lib. 13. πρὸ παραουδῆς ὁμολο- γητῆς, & Clementem Alexandrinum, qui tamen duo posteriores ad DIPHI- LV M auctorem eos referunt. Tibi, amice lector, hoc factum probari cupio. V.

Tunc arbitrare mortuos, Nicostrate,  
 In omnibus qui delicijs, dum viuerent,  
 Sese volutarunt, humo sic obœui,  
 Exinde Numen æuiterno tempore  
 Vt lateant, atque ab hoc fuga se vt eximant?  
 Quæ cuncta cernant Iustitiæ sunt lumina.  
 Nam credimus duas ad inferos vias,  
 Quarum vna iustorum; impiorum est altera.  
 Quòd si pios & impiòs eadem manet  
 Fortuna, quin feras, clepas, & harpages  
 Quidquid queas, & ima summis misceas,  
 Quid obstat? Error, ô bone, ne te fascinet:  
 Sua quemque ad inferos manent arbitria,  
 Quis præsidebit omnium rector DEVS:  
 Cuius tremendum nomen effari haud queam:  
 Peccantibus qui sæpè vitam prorogat.

Si verò quis mortalium, mala indies  
 Dum perpetrat, se clam Deos fore autumat,  
 Falsò autumat, sese inque casses induit,  
 Donec DEÛM paullum quiescit vltio.

\* Videte vos, quis fabulæ sunt Numina:  
 Est, est DEVS. Sed si quis improbè facit  
 Præuæ indolis, tempus lucrifaciat sibi.  
 Pœst namque pœnas tempore elapso dabit.

# COLLATIO DVORVM OPERVM

præstantissimorum Imp. Fl. IVSTINIANI, CORPO-  
RIS IVRIS (cuius pulcerrimam partem, Pandectas,  
ipse sanctissimum Templū Iustitiæ appellat)  
& TEMPLI SOPHIÆ.

**I**USTITIÆ SOPHIÆque olim augustissima templa  
Sunt structa auspicijs IVSTINIANE tuis.  
Illud Iuris amor, Legum & studiosa voluntas,  
O Astræa, Iouis filia cara, tibi;  
Hoc tibi sacrauit, CHRISTE, ô Sapiencia Patris,  
In cultus pietas officiosa tuos.  
Materies illi Leges ac Iura fuere  
Prudentum, & priscis condita Casaribus;  
Materiem lapides huic & cementa dedere,  
Argentum, & gemma, & fulva metalla suam.  
Hæc educta fuit fabris ad sidera moles,  
Organa quis, serra, malleus, atque manus;  
Illa Triboniano erecta est structura magistro:  
Ingenium & calamus malleus huius erat.  
Barbara detinet hoc iam gens Mahometica captum,  
Et spurcat misere sæda superstitio.  
Illud desuetumq; diu, tenebrisq; sepultum,  
In lucem Saxo protulit, inq; forum.  
Temporeq; ex illo rediit gloria Iuris  
Romani in terris & super astra volat:  
Muneribusq; aras onerantes templa frequentant  
Hæc, quos Sol oriens occiduusq; videt.  
Dic, vtrum melior templum fortuna sequatur,  
Anne sacrum Sophiæ, Iustitiæ anne sacrum?  
Scilicet ingenij monimenta perennia viuunt;  
At quod opus manus hæc condidit, illa ruit.  
Nominis, ô bone CHRISTE, tui consurgito vindex,  
Et populo Sophiæ redde age fana tuo.

C. R. B.

